



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

illud præstandum: si ille non promiserit se illud facturum ad præsentiam talistei, concedo. Si promiserit se illud facturum ad illius præsentiam, nego. Cum ergo in proposito Deus promiserit se daturum gratiam ad sacramentorum applicationem, illa possunt dici instrumenta moralia Dei.

146. Obijcies tertio: Ut sacramenta novæ legis essent instrumenta moralia Dei in productione gratiæ deberet Deus esse causa moralis gratiæ. Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major patet, nam instrumentum morale respicit causam principalem ejusdem ordinis. Minor verò suadetur, Tum quia causa moralis non influit per se in effectum: Deus autem influit per se in gratiam. Tum etiam, quia non potest explicari causalitas moralis, quam Deus excreat una cum sacramentis.
147. Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem, distinguo Minorem: Deus influit per se in gratiam, quatenus præcisè est causa moralis illius, nego. Quatenus præter causalitatem moralem habet efficientiam physicam, concedo. Ad secundam dicendum, causalitatem Dei moralem consistere in hoc quod Deus promiserit se daturum gratiam ad præsentiam sacramentorum; vel in hoc quod Christo præcepit, ut applicaret suæ passionis merita sacramentis, quibus deinde ad dandam nobis gratiam moveretur ut antea explicatum est.

ARTICVLVS V.

Quam gratiam causent sacramenta nova legis? An primam, vel secundam?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

148. Notandum primò Gratiam sanctificantem solere distingvi in primam & secundam. Illa prima dicitur, quæ primum infunditur subiecto, nondum habenti ullum gradum gratiæ sanctificantis, atque adeo existenti in peccato mortali, quod definit esse quando gratia infunditur. Illa verò appellatur secunda, quæ advenit subiecto jam grato, & gratiam jam præhabitam auget.
149. Notandum secundò: Sacramenta novæ legis alia esse quæ dicuntur *sacramenta vivorum*, alia quæ vocantur *sacramenta mortuorum*. Sacramenta mortuorum sic dicta sunt, quòd pro mortuis spiritualiter, morte videlicet peccati, instituta sunt, & sunt duo, Baptismus & pœnitentia. Sacramenta verò vivorum sic appellantur, quia Christus ea instituit pro viventibus vitæ spirituali animæ, quæ est vita gratiæ, & sunt alia quinque.
150. Notandum tertio: Dupliciter nos posse intelligere quod aliquid sacramentum causet primam vel secundam gratiam, nimirum per se, & per accidens. Illa sacramenta dicuntur per se causare primam gratiam, quæ sunt instituta à Christo ad conferendam gratiam homini in peccato originali vel mortali existenti. Illa verò dicuntur per accidens causare primam gratiam, quæ licet instituta sint ad augendam gratiam, possunt tamen interdum causare primam gratiam. Et in hoc etiam duplici sensu, possunt sacramenta dici causare secundam gratiam, ut consideranti patebit. His præmissis.

A Triplex hic occurrit difficultas breviter discutenda, & resolvenda. Prima est, utrum omnia sacramenta tam vivorum quam mortuorum causent per se primam gratiam? Secunda, utrum saltem hoc sacramentis mortuorum conveniat. Tertia, an sacramenta vivorum quæ per se causant gratiam, per accidens primam gratiam causare possint?

Quantum ad primum Nunno hic art. 1. difficultate 2. probabile esse dicit omnia sacramenta legis novæ per se conferre primam gratiam, quæ hac tamen in moderatione, ut duo sacramenta quæ dicuntur mortuorum, eam per se conferant, & primum ex ratione communi sacramenti, sed cetera ex propria ratione atomæ, cetera verò solentur ratione communi, quia sic apparet major congruitas sacramentorum novæ legis; subdistinguitur sententiam hæc à viris doctissimis subulter & riosè defendi. In illam inclinare videtur Joannes S. Thoma hic art. 1. dubio 2. ubi docet sacramenta novæ legis esse per se productiva primæ gratiæ ex ratione genericâ.

Quid secundum, Gabriel, Ocham, Minor, & alii Nominales, docuerunt olim nullum etiam sacramentis novæ legis, etiam pro mortuis institutum, per se loquendo causare primam gratiam in adultis. Fundamentum eorum erat, quia ad eum non sunt sufficienter dispositi ad aliquod sacramentum suscipiendum, nisi per contritionem unde cum contritio non sit sine gratia, nunquam adulti recipiunt fructuosè sacramentum aliquod, nisi præsupponatur in gratia. In quam opinionem incidunt Janénista, dum docent ad validitatem sacramenti pœnitentiæ, prærequiri debere rem sive detestationem peccatorum ex Dei detestatione procedentem, ac proinde qui sit vera contritio.

Quantum ad tertium Vaxquez 3. parte disp. 209. cap. 4. Villalobos Tract. 4. difficult. 7. num. 4. Bernal disp. 11. sect. 2. docent sacramenta vivorum nunquam, etiam per accidens, causare primam gratiam. Alij id asserunt solum de quatuor sacramentis, nimirum de Confirmatione, Charismata, Ordine & Matrimonio, & concedunt Extremam Unctionem in aliquo casu conferre primam gratiam. Ita Cardinalis Delugo de Charismata disp. 12. sect. 1. num. 3. & 16. & Gasp. Hurtado disp. 3. difficult. 4.

Communis verò Thomistarum sententia tenetur quidem non omnia novæ legis sacramenta causare per se primam gratiam, sed asserit duo sacramenta mortuorum, illam per se causare, solum in parvulis sed etiam in adultis; sacramenta autem vivorum nunquam illam causare per se, bene tamen per accidens, atque adeo reddunt de attrito contritum, nempe quando ille qui ad aliquod eorum accedit in peccato mortali existimat bonâ fide se esse in gratia, & attritionem habet, quam putat esse contritionem. In Capreolus, Cajetanus, Paludanus, Soto, & alij quos sequuntur, Suarez, Valentia, Granado, & alii communitur.

§. II.

Prima sententia rejicitur, & omnia sacramenta novæ legis non causare per se primam gratiam, breviter suadetur.

Dico primò: non omnia sacramenta novæ legis causant per se primam gratiam. Probatur